Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2113

Quelle:
Copyright:

CODICES ASCETICI.

556 —— 659.

DLVI.

789 Codex membraneus lat. Sec, XII. Folior. 51. 8. charactere luculento exaratus et rubricis distinctus exhibet: I. Opusculum inscriptum minio: *Incipit Publica Theophili Penitentię Satisfactio. qui christum abnegauit. et ueniam beatę marię interuentu adipisci promeruit.* Fuit hic *Theophilus* Ecclesiae *Adanensis* in *Cilicia* Οἰκονομος seu *Vicedominus*, Poenitentiamque, de qua hic narrat *Eutychianus* domesticus ejus, egit circa an. 538. Narrationem e Graeco *Eutychiani* latine vertit *Paulus Neapolitanae* Ecclesiae Diaconus, misitque ad *Carolum* Regem, qui *Godefr. Henschenio Calvus* magis videtur, quam *Magnus*. Adi ejus *Commentar. praevium* de S. *Theophilo Poenitente Act.* SS. T. I. *Februarii Die* IV. p. 480. cui etiam insertum est Opusculum nostrum e III. *Codicibus* mss. adparatum. Incipit illud: *Factum est priusquam incursio fieret in romanam rempublicam execrande persarum gentis fuisse in una ciuitatum ciliciorum secunda regione quendam uicedominum sanctę dei ecclesię nomine teophilum moribus et conuersatione precipuum.* &c. Quae hactenus cum Impressis satis conspirant. At deinceps Lectio saepe differre incipit, ut adeo pro nova editione *Codex* hic omnino consulendus foret. Ita sub finem lego: *Post triduum autem omnibus fratribus ualedicendo osculum tribuens. omniaque sua prius egenis pauperibusque optime distribuens. animam quoque suam sanctę trinitati et beatissimę marię sue liberatrici*